recta nos ipsos inquirendi ratio accesserit, illicò suspicatus sum, priscos Sapientes sinceram methodum mentis passiones investigandi penitus latuisse, ut Animum haud illi ignoraverint, quia Animus aut perdifficilis sit inquisitionis, aut sibi prorsùs ignotus, sed quia ipsum perversè inquirebant. Verùm non adeò in me vigebat ratiocinandi vis, nec tam a sensuum impedientibus, ac veluti obtrepentibus imaginibus mentem abducere assueveram, ut tenebris excussis Animum in se ipso cernere valerem. Hinc spiritalium rerum, ac mei ipsius investigatione posthabita, solummodo eas disciplinas & artes excolebam, quæ Animum a se ipso penè rapiunt, ac perscrutandis corporibus obstringunt, eò magis à me recedens, quò ad extraneas naturas extra me cogitatione excurrens convertebar. Tandem ut ad maturiorem perveni ætatem, specialissimo Numinis Æterni beneficio in præstantissima Magni Augustini Opera incidi, ac primùm mihi sese obtulit verè aureus, & peracutus Libellus de Animæ Quantitate, ad quem revolvendum Sapientissimus Cardinalis NORISIUS, Vir omnis doctrinæ Princeps, me summoperè excitavit in ea suarum Vindiciarum parte, ubi Augustinus ab eorum iniuria vindicatur, qui, illum corporeum effecisse Animum, temerè arbitrantur. Quamobrem saniora, magisque firma Architectonicæ Philosophiæ rudimenta ex Augustinensi doctrina colligens, non modo Theologicæ, verùm & Philosophicæ Militiæ Antesignanum, me in solo Augustino invenisse, vehementer lætatus sum. Ac primùm ad utiliter, & expeditius latentes rerum causas deinceps detegẽdas, mihi plurimum profuit, id quod legeram Lib. 1. de Ord. cap. 1. ubi nos, ut nobiscum commorari assuescamus, sapientissimè hortatur Augustinus. Salutare quidem documentum, ut Animus ad intimiorem Universi notitiam præparetur. Quippè dum homines suam deserunt rationem, atq; in se ipsis minimè versantes, meditari, seu ea, quæ explorant, intus inspicere negligunt, haud rerum medullam, & viscera cogitatione permeant, sed in solo cortice, & extima facie sistunt, inaniter autumantes, se id scire quod ignorant, & deforis tantùm intuentur. Idcircò non Sapientiam, sed historicam quandam scientiæ speciem totis nervis excolentes, cum de aliqua re disputant, non ipsi, ut ita dicam, ratiocinantur, cogitant, ac judicant, sed in ipsis vel Aristoteles, vel Plato, vel Democritus, aut aliquis alius sive recentior, sive vetustior Sapiens cogitat, edisserit, & in judicium erumpit.

Deindè in Librum Decimum de Trinitate, & de Animæ Quantitate incurrens statim intellexi, non ob aliam ratiocnem homines animi naturam ignorasse, aut se ignorare censuisse, nisi quia extrà se vagantes sensibus, & corporibus